

des H. General Feld-Wachtmeister Baron von Helfreich <sup>1)</sup> gestandene Mannschafft eben von dieser Nation gänzlich zersprenget und in die Flucht geschlagen worden. Der Verlust auf Seiten deren Feinden wird nicht gering geschätzt, zumahlen die Action und ein solches Schargiren deren Unserigen mit dem Feindt bis in die spate Nacht gewehret, da selbige umb die Mittag-Stundt angefangen und die Croaten wenigen Pardon geben. Der französische commandirende General Duc d' Harcourt sowohl als der bayrische Feld-Marschall Graf Törring seynd bey der Expedition selbst zu gegen gewesen, welche sich in das Lager retiriret. Es seynd von denen Unserigen 5 Feld-Stückl erobert worden. An Totten zehlen wir 8 und 52 Blessirte.

## De Canonis Missae Apostolice cum nova dicti Canonis explanatione Disquisitio Critico-Liturgica.

Auctore R. P. D. Francisco Beda Plaine, O. S. B.

(Continuatio, vide fasc. I. 1894. pg. 66—71.)

Art. 4. Explanatio per partes Canonis Missae, ejusque collatio cum scriptis Patrum quinque primorum seculorum.

Canon Missae, in se et quoad sensum litteralem consideratus, nihil aliud videtur quam prolixa collecta, pluribus constans membris seu partitionibus, quarum prima est oratio: Te igitur, ultima vero: Nobis quoque peccatoribus; sed nulla collecta inveniri potest magis plena mysteriis et spiritali efficacia. Composita fuit haec collecta, ut mihi videtur, juxta exemplar ultimae preceationis, quam Christus janjam moriturus, coram discipulis suis Patri suo obtulit.<sup>2)</sup>

Dirigitur expresse ad primam personam Sanctissimae Trinitatis, sicut pleraeque collectarum, eamque juxta exemplar Christi <sup>3)</sup> proprio nomine vocat: Pater; Te igitur clementissime Pater; totam vero Ecclesiam circumplectitur sive triumphantem in coelis, seu expiantem in purgatorio, sive militantem in terra, exclusis tamen non tantum infidelibus sed etiam haeticis et schismaticis, quia Christus, ut ipse declarat expresse, in ultima preceatione non pro mundo rogavit.<sup>4)</sup> Exinde oriuntur variae sectiones, in quibus partita est haec collecta, unica in suo genere. Istarum vero sectionum ordo et tenor litteralis aliqualem mutationem, sed accidentalem et non substantialem, passi sunt forsan

<sup>1)</sup> Christian Freiherr von Helfreich. Vgl. Thürheim, Khevenhüller, S. 210 f.

<sup>2)</sup> Joann. XVII, 1. 26.

<sup>3)</sup> Ibid. v. 1 et alibi.

<sup>4)</sup> Joann. XVII, 9.

decursu temporum, usquedum S. Gelasius, desinente seculo quinto, ultimam manum apposuerit illarum ordini et tenori sectionum dicti Canonis, ut conicitur ex eo quod iste Pontifex primus collegit librum sacramentorum Romanae Ecclesiae, et quod item aliquot vicibus canon Missae vocatus est Canon Gelasii Papae.<sup>1)</sup>

Uniuscujusque sectionum Canonis Missae originem et antiquitatem successive inquisiturus, a prima statim incipio.

### §. 1. Prima Oratio Canonis Te igitur.

Vox conjunctiva igitur, quae hic invenitur, probat Praefationem habendam esse tanquam prologum orationis sequentis, unde una et altera gaudere debent eadem antiquitate. Porro Praefatio antiquissima est et forsitan ex institutione apostolica, siquidem adest fere sub eadem forma in Liturgiis Orientalibus et Occidentalibus et eam jam recensebat S. Cyprianus, tertio seculo mediante, quasi jure usus universalis. Ergo ipsa Oratio: Te igitur debet esse antiquissima.

Aliunde de ea mentionem faciunt explicite in quinto Ecclesiae seculo Innocentius Romanus Pontifex et in quarto Optatus Milevitanus episcopus. Prior ex eis dicebat ad damnandum aliquem usum novum, qui tunc serpebat, silicet, usum recitandi nomina offerentium ante Praefationem:

„Prius oblationes sunt commendandae.“<sup>2)</sup> Porro haec commendatio precise invenitur in oratione Te igitur, in qua legitur „accepta habeas haec dona, haec munera, haec sancta sacrificia illabata.“

Optatus vero ad confutationem Donatistarum eos sic arguebat: „Jam et mendacium vestrum hoc loco juste potest demonstrari, quo quotidie a vobis sacrificia condiuntur. Nam quis dubitet vos legitimum illud in sacramentorum confectione non posse praeterire: Offerre vos Deo dicitis pro Ecclesia, quae una est et toto terrarum orbe diffusa?“<sup>3)</sup>

Topicum erat profecto istud argumentum, et quilibet sacerdos Donatista mendacii reus erat quando talia verba ore proferebat in sacrificio altaris, siquidem secta ejus, nedum esset universalis, arctata erat intra aliquot Africae pagos. Quodnam vero erat illud legitimum ubique receptum et sine quo non poterant sacrificia condiri, et sacramenta confici, nisi Canonem Missae? Quae erat vero speciatim illa oratio, cum qua oblatio offerebatur Deo pro Ecclesia una et toto orbe diffusa, nisi oratio Te igitur, in qua dicitur: tibi offerimus pro Ecclesia sancta catholica, quam regere digneris toto orbe terra-

<sup>1)</sup> Missale dictum de Stowe, Dublin, 1886, editor Mac-Carthy.

<sup>2)</sup> Innocentii epistola XXV ad Decentium n. 5.

<sup>3)</sup> Adversus Parmenian. lib. 2, n. 12.

rum? Quod ut melius probetur, adducam adhuc verba Vigilli Papae in Epistola ad Justinianum Imperatorem, quae optime concordant cum praecedentibus: „Nos omnes Pontifices, aiebat iste gloriosus Petri Successor,“ ex antiqua in offerendo „Sacrificio traditione deposcimus ut Catholicam Ecclesiam (Dominus) adunare, regere et custodire dignetur.“<sup>1)</sup> Nam ut patet, hic agitur de oratione: Te igitur et non de alia. Unde impossibile est negari hanc orationem antiquissimam esse.

Circa vero ejus explanationem litteralem, dicam breviter in hac oratione duo simul includi scilicet, commendationem munerum, ut jam ostensum est per S. Innocentium, et aliquam petitionem generalem pro tota Ecclesia catholica, pro illius Capite seu Romano Pontifice, pro Antistite dioecesano, et tandem pro omnibus orthodoxae et catholicae fidei cultoribus. De infidelibus vero, haereticis et schismaticis prorsus tacetur ob causam superius allegatam, ut probabile videtur. Petitiones vero, quae speciatim spectant tum offerentem et ejus amicos seu benefactores, tum astantes, continentur in secunda oratione Canonis, de qua nunc tractabitur.

## §. 2. Secunda Oratio Canonis: Memento Vivorum.

Oratio nuncupata: Memento Vivorum, secunda est partitio Canonis saltem a quinto seculo teste Innocentio primo cujus verba jam allata sunt. Utrum vero res sic se habuerint ab initio quoad hujus orationis ordinem potest dubitari. Facile credo primitus in diversis locis orationem Communicantes aliis priorem loco fuisse. Iste vero Memento, tunc immediate jungebatur orationi Hanc igitur oblationem. Exinde vox conjunctiva igitur, quae hanc unionem supponit. Aliunde S. Augustinus, loquens de diptychis in quibus inscribebantur nomina tum martyrum, tum vivorum, ac etiam defunctorum, dicit aperte et explicite: „Advertite, fratres, in recitatione ad altare Christi, sancti martyres loco meliore recitantur.“<sup>2)</sup> Quae assertio actualiter falsa esset siquidem nomina vivorum hodie praecedunt nomina Martyrum, quae tantum veniunt secundo loco.

Aliunde in variis paginis duplicis Sacramentarii Leoniani et Gelasiani recitantur aliqua nomina vivorum seu etiam defunctorum in Oratione: Hanc igitur oblationem<sup>3)</sup> quod est indicium certum alicujus unionis inter dictum duplicem Memento et hanc orationem. Quidquid sit de hac ordinis mutatione, quae parvi est momenti in praesenti tractatione, usus recitandi ad altare nomina offerentium panem et vinum sacrificii antiquissimus est, et expresse

<sup>1)</sup> Epist. V. Vigilli Papae n. 5.

<sup>2)</sup> Sermo 273, n. 7.

<sup>3)</sup> Sacramentarium Leon. in Patrol. lat. t. 55 p. 129, 131, 134, 137 et Sacramentarium Gelas. lib. 1, n. 26; lib. 3, n. 50—54, 92—100 et coetera.

astruitur a S. Hieronymo.<sup>1)</sup> Tenor etiam formulae idem fere jam erat ac hodie sub Damaso Papa, teste anonymo, cui debentur *Questiones de novo Testamento*. Nam secundum istum auctorem „ille dicitur offerre (Deo) sacrificium laudis, cujus oblationes super altare imponit sacerdos“,<sup>2)</sup> dum revera legitur in nostro Canone: „Memento, Domine, famulorum tuorum — qui tibi offerunt sacrificium laudis.“

Verba vero „pro quibus tibi offerimus“ secundae sunt manus, et addita fuerunt solummodo serius quando frigescente caritate fidelium, usus offerendi panem et vinum desiit et suppletus est stipendio Missarum: nam qui istud stipendium nunc offerunt, eo ipso jus habent ut nomina sua saltem mentaliter recitentur. De hac additione vero tacent in nono seculo Amalarius et Florus, necnon et auctor *Micrologi*, qui florebat circa finem undecimi seculi.<sup>3)</sup> Illius vero expressam mentionem facit S. Petrus Damianus, coaevus auctoris *Micrologi*.<sup>4)</sup> Sed haec minima additio non impedit quin antiquissima sit ipsa Oratio de qua nunc agitur. Explanationi vero ejus litterali nihil remanet addendum.

### §. 3. Tertia oratio Canonis: Communicantes.

Tertia Canonis oratio intime unitur dogmati, spei et consolationis tam pleno, *Communione Sanctorum* juxta quod Ecclesia universaliter sumpta mysticum Christi corpus unice efformat. Nam hoc corpus unicum est, licet membra ejus tria distincta loca actualiter occupent, scilicet coelum, ubi triumphant sancti, purgatorium, ubi expiantur animae defunctorum, terram ubi nos militamus tanquam viatores usque dum meritum et laborem recipiamus mercedem. Unde in hoc corpore unico adest etiam communitas meritum et bonorum spiritualium: Hinc nos adhuc viatores precamur sanctos in coelo regnantes ut nos adjuvent, pro defunctis vero exoramus ut a poenis peccati solvantur. Insuper Oratio *Communicantes* directe pro objecto habet facere memoriam Sanctorum, quorum suffragia et protectionem imploramus ut eorum meritis et coronis post mortem consociemur. Porro *Invocatio Sanctorum* in sacrificio altaris debet esse institutionis apostolicae, Nam invenitur in Omnibus Liturgiis sive Orientalibus sive Occidentalibus. Sed Canon *Missae Romanus* non invocatur nominatim nisi Sanctos qui pariter et humano generi et novo Testamento ascribuntur, dum e contra *Liturgiae Orientales* ordinarie in unum jungunt tum Sanctos Novi Testamenti tum novem Beatorum

<sup>1)</sup> Comment in *Jeremiam* c. XI v. 15 — in *Ezechielem*, c. XVIII v. 9.

<sup>2)</sup> *Quaestiones de Novo Testamento* n. 19. *Patrol. latina* t. 35, p. 2329.

<sup>3)</sup> *Micrologus*, XXIII.

<sup>4)</sup> *Opuscul.* XXX, c. 3.

Spirituum Ordines, tum Patriarchas et alios Justos Veteris Testamenti. Insuper dum Ecclesia Romana solummodo nominat speciatim Apostolos et Martyres, quod est indicium certum antiquitatis Canonis Missae, Liturgiae Orientales eundem honorem sine distinctione conferunt Confessoribus et Virginibus. Quod merito notandum est: nam inde eruitur omnes istas Liturgias, non excepto fragmento, quod positum est in libro octavo Constitutionum apostolicarum<sup>1)</sup> posteriores esse seculo quarto Ecclesiae, et ideo nihil habere commune cum SS. Marco et Jacobo Apostolis, Basilio, Cyrillo et aliis Patribus quarti seculi, quibus de more ascribuntur.

Aliunde nostrae Orationi: Communicantes alludere debebat S. Augustinus quando scribens contra Faustum: „Populus Christianus, aiebat, martyrum memorias cum religiositate concelebrat ut meritis eorum consocietur et eorum orationibus adjuvetur.“<sup>2)</sup> Nam et nos in hac oratione petimus nobis concedi „ut meritis et precibus sanctorum in omnibus protectionis divinae muniamur auxilio.“ Item alibi idem Sanctus Doctor dicit „Sacrificium Deo offertur, non martyribus. In sacrificiis tamen martyres suo loco et ordine nominantur.“<sup>3)</sup> Hinc ut videtur, tempore S. Augustini sicut et hodie soli martyres in canone nominatim invocabantur. Quoad litteralem tenorem hujus orationis, vivente Augustino non erat forsannino fixus: Nam ejusdem duplex textus in aliquot verbis diversus pro festo Ascensionis, et alius duplex ejusdem generis pro festo Pentecostes in Sacramentario Leoniano.<sup>4)</sup>

Relate ad numerum et personalitatem Sanctorum martyrum, qui speciatim in ea nominantur, diversi erant in principio, ut probabile videtur, usus et ecclesiarum consuetudines secundum loca et regiones. Ecclesia vero Romana, a seculo quinto pro lege habet numerum XXIV in memoriam XXIV seniorum Apocalypsis qui stant coram altari coelesti, cujus altare terrenum umbra est et figura.<sup>5)</sup>

Duodecim Apostoli et duodecim martyres hunc numerum adimplent, nec ultra eum ascendunt. Verumtamen gloriosa Dei Genitrix Virgo Maria non in hoc numero comprehenditur, et primo loco statuitur nomen ejus Angelis et hominibus venerabile. Sed nomen Matthiae apostoli rejicitur ad secundam seriem Sanctorum, de qua inferius dicetur, quia Paulus Apostolus suum distinctum locum tenet, et sic duodenarius numerus jam completur. Duodecim vero martyres sunt Romani genere vel vita, praeter tres, scilicet, Cyprianus Carthaginensis, et duo fratres Cilices Cosmas et Damianus. Isti duo ultimi, Romani non sunt nisi cultu religioso,

1) Constitution. Apostolicar. VIII, 13.

2) Lib. XX contra Faustum n. 21.

3) De Civitate Dei, XXII, 10.

4) Patrol. latina t. LV. p. 37 et 38, 40 et 43.

5) Apocalyps, IV. 4 et alibi.

qui eis in hoc centro Ecclesiae a tredecim seculis et amplius conceditur. Ex aliorum numero tres primi Romanam Ecclesiam immediate post Petrum rexerunt; quartus vero Xystus secundus est istius nominis non primus, et forsane evectus est ad hunc gradum honoris tanquam pater spiritualis S. Laurentii Martyris, cujus passio tantam Romae gloriam contulit. S. Cornelius super cathedram S. Petri sedebat mediante seculo tertio; Chrysogonus vero martyrium passus est sub Diocletiano, et duo fratres Joannes et Paulus solummodo sub Juliano Apostata. Unde certum est praesentem seriem Sanctorum non ordinari potuisse ante ultimos annos seculi quarti, et tunc pro usu forsani speciali Ecclesiae Romanae ordinata fuit, non pro Ecclesia universali. Porro nescimus quomodo se res habuerint ante hanc ordinationem, et similiter ignoramus quo tempore extra Romam dicta ordinatio habuerit vim legis. Forsan non erat obligatoria antequam aliter fuerit pro uniformitate provisum a Sede Apostolica circa undecimum seculum. Nam antea Mediolani, in Gallia et alibi plures Sanctorum Canonis Romani passim praescindebantur, vel alii eis adjungebantur, praesertim patroni locorum et regionum secundum circumstantias.

§. 4. Quarta Oratio Canonis: Hanc igitur oblationem.

Quarta partitio Canonis intime unitur, ut jam dixi, secundae seu recordationi vivorum. Forsan potest addi illam primitus eodem modo unitam fuisse recordationi defunctorum, ita ut iste duplex Memento unicam efformaverit orationem cum praesenti, quam vocamus: Hanc igitur oblationem. De facto, si consulatur Sacramentarium Leonianum, quod est quolibet alio vetustius, invenitur dicta oratio juxta hunc tenorem:

„Hanc igitur oblationem famuli tui N., quam tibi offert pro anima famuli tui N. vel famulorum tuorum N. N. quaesumus, Domine propitiatus accipias et miserationum tuarum largitate concedas, ut quicquid terrena conversatione contraxit, his sacrificiis emundetur et mortis vinculis absolutus transire mereatur ad vitam. Per Christum Dominum nostrum.“<sup>1)</sup> In quo manifeste in unum jungitur sub unica ista oratione duplex recordatio vivorum et defunctorum. Unde certum est hanc orationem redactam fuisse ante Pontificatum S. Leonis. Sed in his temporibus et usque ad dies S. Gregorii Magni, tenor istius, licet semper immobilis quoad substantiam, diversus tamen erat quoad litteram in multis circumstantiis, verbi gratia, in Ordinum collatione, in nuptiis etc. ut videre est in Leoniano et Gelasiano Sacramentariis, in quibus frequenter finiebatur per verba „ut placatus suscipias“ quibus hodie plura adduntur; Gregorius vero huic varietati finem imposuit, statuendo ut deinceps quotidie et modo fere invariabili iisdem ad-

<sup>1)</sup> Patrol. latina t. LV. p. 134.

deretur quod nunc sequitur: „diesque nostros in tua pace disponas, atque ab aeterna damnatione nos eripi, et in electorum tuorum jubeas grege numerari“<sup>1)</sup>, incitatus ad hoc, ut probabile videtur, invasione Longobardorum in Italiam, et aliis bellis, seu vastationibus et calamitatibus publicis innumeris, quae tunc temporis contigerunt.

§. 5. Quinta Canonis Oratio: Quam oblationem etc.

Quatuor subsequentes Orationes Canonis: Quam oblationem, Unde et Memores, Supra quae propitio, et Supplices te rogamus sub unico Amen comprehenduntur, quia unicam, ut reor efformant Canonis sectionem. De eis tamen, ut vitetur omnis confusio, separatim hic agetur.

Porro prima earum jure merito nuncupata est a S. Isidoro conformatio sacramenti<sup>2)</sup>: nam revera nobis exhibet integrum textum duplicis consecrationis panis et vini. Ejus vero textus jam idem erat ac hodie seculo quarto desinente, ut patet ex quodam libro sacramentorum pluries postea citando, in quo legitur: „Accipe verba coelestia, quibus consecratur. Dicit sacerdos: Fac nobis hanc oblationem ascriptam, ratam, rationabilem, acceptabilem quod figura est<sup>3)</sup> corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi. Qui pridie quam pateretur in sanctis manibus suis accepit panem, respexit in coelum ad te, sancte Pater, omnipotens, aeternae Deus, gratias agens, benedixit, fregit, fractumque apostolis suis et discipulis tradidit dicens: Accipite et edite ex hoc omnes, hoc est enim corpus meum, quod pro vobis confringetur. Similiter et calicem, postquam coenatum est, pridie quam pateretur, accepit, respexit in coelum ad te, sancte Pater, omnipotens, aeternae Deus, gratias agens, benedixit, apostolis suis et discipulis tradidit dicens: Accipite et bibite ex hoc omnes, hic est enim sanguis meus.“<sup>4)</sup>

Insuper res notatu digna, Liturgiae Orientales, quae hodie multum a Romana distant quoad textum orationum praeparatoriarum Consecrationis, verborumque ipsius Consecrationis, fere identitatem cum ea tunc temporis exhibebant, testibus S. Basilio, et S. Cyrillo Hierosolymitano.

En verba istius in Catechesi XXIII., quae versatur circa Eucharistiam: „Postquam nosmetipsos, ait Sanctus, per has spiri-

1) Bedae: Hist. ecclesiast. lib. 2. c. 1. Joannes Diaconus: Vita S. Gregorii, lib. 2. n. 17.

2) De ecclesiasticis officiis, 1. XV.

3) Ad est forsan hic lacuna et error ex eo quod auctor scribit memoriter, nam paulo superius dixerat: de pane fit caro Christi n. 14. Ergo vox figura est una interpolatio. Eadem repetit auctor paulo inferius: »Antequam consecratur, panis est, ubi autem verba Christi accesserint, corpus est Christi« n. 23.

4) Conferatur cum textu Missalis Romani et identitas litteralis invenietur paucis exceptis.

tuales laudes (Praefationes) sanctificamus Deum, benignum exoramus ut emittat Spiritum Sanctum<sup>1)</sup> super dona proposita, ut faciat quidem panem corpus Christi, vinum vero Sanguinem Christi. Omnino enim quodcumque attigerit Spiritus Sanctus, id sanctificationem et transmutatum est.<sup>2)</sup> Tacet Cyrillus de forma ipsius consecrationis propter legem secreti, sed manifeste oratio, quae eam praecedebat, nostrae orationi „quam oblationem“ erat substantialiter identica.

Nunc verba non minus clara S. Basili proferam. Loquens enim Sanctus Doctor de traditionibus non scriptis<sup>3)</sup> et tamen ex Apostolis descendentes, enumerat inter eas Invocationem, quae habetur tanquam forma Consecrationis Eucharistiae.

„Invocationis<sup>4)</sup> verba „ait expresse“ cum conficitur panis Eucharistiae et poculum benedictionis, quis Sanctorum in scripto nobis reliquit? Nec enim his contenti sumus, quae commemorat Apostolus aut Evangelium, verum alia quoque ante et post dicimus tanquam multum habentia momenti ad mysterium, quae ex traditione non scripta accepimus.“<sup>5)</sup> Alluditur, ni fallor, in verbis tam explicitis unice formae consecrationis, quae continetur in Canone Romano, non formis saltem hodiernis Liturgiarum Orientalium: nam istae ultimae non nisi post mortem S. Basili redigi potuerunt, siquidem alta voce recitantur, sacerdote interpellante et populo respondente, quod erat prohibitum quamdiu viguit lex secreti.

Notandum est circa tenorem verborum: „quam oblationem .. ascriptam, ratam, rationabilem“ sapere manifeste Jurisperitum ut jam dixi superius, et Jurisperitum Romanum, cui nunquam deest vox propria, et a qualibet alia distinctiva. Coeterum quoad sensum litteralem hujus orationis facile intelligitur modo generali, et non est hic locus explicandi speciatim sensum particularem unius cujusque ex illis vocibus benedictam, ascriptam, ratam, rationabilem, acceptabilem.

#### §. 6. Unde et memores. Supra quae propitio.

Oratio: Unde et memores prosecutio est verborum consecrationis: „Haec quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis“ inveniturque substantialiter, quamvis paulo confuse, apud antiquum

<sup>1)</sup> Hanc invocationem Spiritus Sancti, quae *Epiclesis* vocatur, hodie parum convenienter Orientales post Consecrationem ponunt panis, quasi revera non jam esset facta et vini Consecratio.

<sup>2)</sup> Catechesis 23 nr. 7. *Patrologia graeca* t. 33 col. 1114.

<sup>3)</sup> Traditiones non scriptae id est, non contentae in libris Novi Testamenti.

<sup>4)</sup> Similiter Vigilius Papa Canonem nuncupabat *Textum Canonicae* *precis* in Epistola ad Profuturum.

<sup>5)</sup> Liber de Spiritu Sancto, XXVII n. 66.

auctorem pluries jam citatum libri Sacramentorum sub his verbis: „Sacerdos dicit: Ergo memores gloriossime ejus Passionis, et ab inferis Resurrectionis, et in coelum Ascensionis, offerimus tibi hanc immaculatam hostiam, rationabilem hostiam, incruentam hostiam, hunc panem sanctum et calicem vitae aeternae.<sup>1)</sup>

Oratio sequens: *Supra quae propitio*, non invenitur in eodem libro sacramentorum nisi partim, quia auctor ut puto, memoriter scribens eam confuse unit cum Oratione „*Supplices te rogamus*“, ut dicitur infra. Istius nihilominus antiquitas et usus universalis clare et solide astruuntur a diacono Hilario in suis quaestionibus de Novo Testamento. Etenim iste auctor, qui Luciferianus erat et duplici errore deceptus credebatur Melchisedech eundem esse ac Spiritum Sanctum, sed tamen inferiorem Christo, objurgabat vehementer sacerdotes sui temporis occasione hujus orationis, dicens: „*Spiritus Sanctus vere est sacerdos Dei excelsi, sed post Christum, et non summus, sicut nostri sacerdotes praesumunt.*“<sup>2)</sup> Porro haec verba quibus alludit auctor, nullibi inveniuntur nisi in Oratione dicta: *Supra quae propitio*; cujus aliunde pars sequens adest in libro citato Sacramentorum: „sicut suscipere dignatus es munera pueri tui Abel, et Sacrificium Patriarchae nostri Abrahae, et quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech.“<sup>3)</sup> Quae verba finiunt dictam orationem, demptis tamen sequentibus: „*Sanctum sacrificium, immaculatam hostiam*“ quae a S. Leone Magno addita fuerunt,<sup>4)</sup> quinquaginta annis vel circiter post mortem auctoris dicti libri, in commendationem oblationis panis et vini, quam figuratim Melchisedech exhibebat Deo, ac simul ad damnationem Manichaeorum, qui vivente Leone Romam jam venerunt et juxta quos vinum et panis a principio malo procedebant.

#### §. 7. Oratio: *Supplices te rogamus*.

Oratio: *Supplices te rogamus* prosecutio item est duarum praecedentium, earumque conclusio. Auctor libri sacramentorum eam nobis exhibet confuse unitam, ut jam dixi, cum praecedenti, sub hoc tenore:

„*Petimus ac precamur ut hanc oblationem suscipias in sublimi altare tuo per manus angelorum tuorum.*“ Quae vero sequuntur, ultimam partem apud eum constituunt orationis: *Supra quae propitio* „sicut suscipere dignatus es munera pueri tui Abel, et sacrificium Patris nostri Abrahae et quod tibi obtulit summus

1) Lib. Sacram. IV. n. 27. Patrol. lat. t. 16 p. 443.

2) Quaestiones de Novo Testam. circa finem. (Patrolog. lat. t. XXXV p. 2329.)

3) Lib. Sacramentor. IV, n. 27.

4) Liber Pontificalis, editio citata t. 1 p. 241.

sacerdos Melchisedech.<sup>1)</sup> Sed talis qualis, hic textus sufficit ad astruendam antiquitatem substantialem utriusque orationis, de qua agitur.

Aliunde oratio: supplices te rogamus, valde sublimis est et mysteriis plena. Angelus vero per cujus manus munera et preces nostrae perferri debent in conspectu divinae majestatis idem est forsitan ac Angelus Apocalypseos cui incumbit ex officio ministerium standi coram Deo in coelis, et orationes sanctorum offerendi.<sup>2)</sup> Insuper mihi videtur dicta Oratio quasi immediate praeparatoria ad Communionem et institui debuit in iis temporibus, in quibus fideles, qui sacris adstabant mysteriis, iisdem fere omnes participes erant et quidem sub duplici specie panis et vini. Quocirca in ea expresse rogatur „ut quotquot ex hac altaris participatione Sacrosanctum Filii tui corpus et sanguinem sumpserimus, omni benedictione coelesti et gratia repleamur.“<sup>3)</sup>

Quae supplicatio valde pia et conveniens est in loco, quem occupat hodie, sed tamen convenientior esset si eam fractio panis et deinde communio immediate sequeretur, et si omnes, qui sacris mysteriis adstant, fierent etiam participes Corporis et Sanguinis Christi. Porro res primitus ita se frequenter habebant, et etiam in diebus S. Augustini, ut ipse Sanctus Doctor indirecte testatur, scilicet quando dicit absolute: „In recitatione ad altare Christi, sancti martyres loco meliore recitantur“,<sup>4)</sup> idem est ac si assereret dypticha Sanctorum praeponi et non postponi dyptichis defunctorum ut fit hodie in oratione: Nobis quoque peccatoribus. Item alibi dicit idem sanctus: fractionem panis praecedere Orationem Dominicam.<sup>5)</sup>

#### §. 8. Memento Defunctorum.

Pius usus recitandi nomina defunctorum in sacrificio altaris debet esse institutionis apostolicae, siquidem invenitur in omnibus Liturgiis, et jam de eo mentionem faciunt Tertullianus et Cyprianus,<sup>6)</sup> S. Monica vero moriens longe a loco natali: „Tantum vos rogo, aiebat, ut ad Domini altare mei memineritis ubi fueritis.“<sup>7)</sup>

Filius ejus, S. Augustinus eandem rem expresse testatur dicens: „Non parva est Ecclesiae universae auctoritas, ubi in precibus sacerdotis, quae Domino Deo ad ipsum altare funduntur, locum suum habet commendatio mortuorum.“<sup>8)</sup> Item alibi: „Fide-

1) Lib. Sacramentor. IV, n. 27,

2) Apocalyps. VIII, 3 et 4.

3) Missale Roman. in Canone.

4) Sermo 273 n. 7.

5) Epist. ad S. Paulinum 149 n. 16.

6) Tertullianus: De monogamia c. 10. S. Cyprianus Epist. LVI, n. 2.

7) Confession. IX, 11.

8) De Cura pro mortuis, c. 4.

libus notum est quo loco martyres, et quo defuncti ad altaris sacramenta recitantur.<sup>1)</sup>

Quoad locum hujus memoriae jam dixi quomodo primitus ista recordatio unita fuerit memoriae vivorum et aliquid unum effecerit cum ea. Ignoratur quis novum et hodiernum morem introduxerit, sed a pluribus attribuitur Pelagio Papae primo vel secundo in secunda medietate sexti seculi.<sup>2)</sup> Tenor vero istius memoriae idem forsitan erat ac hodie, licet locus alter, etiam in quarto vel quinto seculis, teste eodem episcopo Hipponensi, cujus verba jam citata:

„In precibus sacerdotis, quae ad altare offeruntur, locum suum habet Commendatio mortuorum,“ alludunt forsitan his verbis nostri Canonis: „Memento, Domine, famulorum tuorum . . . qui nos praecesserunt cum signo fidei et dormiunt in somno pacis.“ Idem eximius Doctor dicit alibi: „Hoc a Patribus traditum universa observat Ecclesia ut pro eis qui in Christo defuncti sunt, cum ad ipsum altaris sacrificium, commemorantur loco suo, oretur ac pro illis quoque id offerri commemoretur“<sup>3)</sup>, ubi alluditur forsitan his verbis Canonis: „Ipsis Domine, et omnibus in Christo quiescentibus.“

Quis scit etiam an Tertullianus dum commendat viduae ut oret pro anima viri defuncti et refrigerium adpostulet ei<sup>4)</sup> non alluderit nostro textui in quo precamur, ut Deus defunctis indulgeat locum refrigerii, lucis et pacis.

(Continuabitur in seq. fasc.)

## Regesten zur Geschichte des schwäbischen Klosters Hirsau.

Von Otto Hafner in Esslingen.

(Fortsetzung zu Heft I. 1894. S. 82—90.)

**1342** kaufte Hirsau von Graf Ulrich von Württemberg die 10 fl., welche die Einwohner von Stammheim ihm als Inhaber der halben Herrschaft Calw alljährlich zahlen mussten, mit all seinen Rechten in Stammheim. (Oberamtsbeschr. von Calw pg. 335.)

**1342** erwarb Hirsau von Konrad, Ritter von Waldeck dessen Antheil von Burg und Dorf Stammheim um 1000 Pfund Heller. (Oberamtsbeschr. von Calw pg. 335.)

1) De Virginitate, c. 45.

2) Platina, auctor seculi quintodecimi in Vitis Papparum.

3) Sermo 172, n. 2.

4) De Monogamia, c. 10.